

esset et forte temere casu aut pleraque fierent aut omnia, num aliter ac nunc eveniunt evenirent? quid ergo adtinet inculcare fatum, cum sine fato ratio omnium rerum ad naturam fortunamve referatur?

5 Sed Posidonium, sicut aequum est, cum bona gratia
dimittamus, ad Chrysippi laqueos revertamur. cui qui-
dem primum de ipsa contagione rerum respondeamus,
reliqua postea persequemur. Inter locorum naturas quan-
tum intersit, videmus; alios esse salubris alios pestilen-
10 tis, in aliis esse pituitosos et quasi redundantis in aliis
exsiccatos atque aridos; multaque sunt alia quae inter
locum et locum plurimum differant. Athenis tenue cae-
lum, ex quo etiam acutiores putantur Attici, crassum
Thebis, itaque pingues Thebani et valentes. tamen
15 neque illud tenue caelum efficiet ut aut Zenonem quis
aut Arcesilam aut Theophrastum audiat, neque crassum
ut Nemea potius quam Isthmo victoriam petat. Diiunge
longius. quid enim loci natura adferre potest, ut in por- 8
ticu Pompei potius quam in campo ambulemus, tecum
20 quam cum alio, Idibus potius quam Kalendis? ut igitur
ad quasdam res natura loci pertinet aliquid, ad quas-
dam autem nihil, sic astrorum adfectio valeat, si vis,
ad quasdam res, ad omnis certe non valebit.

'At enim, quoniam in naturis hominum dissimilitu-
25 dines sunt, ut alios dulcia alios subamara delectent,
alii libidinosi alii iracundi aut crudeles aut superbi sint,
alii <a> talibus vitiis abhorreant, — quoniam igitur' inquit
'tantum natura a natura distat, quid mirum est has dissi-
militudines ex differentibus causis esse factas?' haec 5
30 disserens qua de re agatur et in quo causa consistat 9